



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 5. Religio Francorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

*Fertilitas.* Terra suis est contenta bonis, non indiga mercis: ubique frumentum prouenit, ubique præterquam in paucis regionibus vites. Bituricensibus lanis quid mollius? oleo Prouinciæ quid pretiosius? ubique armenta, ubique greges, equi in aliquot prouinciis bellatores.

*Diuitia* ex frumento colliguntur, lino, lanâ, ferro, omnibus penè mercibus. Ex sale quantum pecuniæ ab Hispanis, Anglis, Batavis numeratur? Salinæ nobiles, Peccenses, Nannerenses, Santonenses. Nihil de Metallicis ferri dicam per totum Regnum sparsis, quarum nobilissimæ Niuernenses. Diuitiarum Francicarum sit istud argumentum quòd posterioribus hisce bellis sumptus annuus Regiarum rationum sæpe extiterit 120. millionum, anno 1636. centum quinquaginta sex millionum.

*Populosa.* Nihil in eâ incultum, pagi quibusdam in locis prope modum sese contingentes. Censu habito sub Carolo IX. viginti milliones Francorum numerati sunt: vna Lutecia rebus exigentibus ducenta bellatorum millia educere potest. Sexcenta peditum millia, centum quinquaginta equitum reperiri posse in Galliâ putabat Richelius Cardinalis, qui intra quindecim dies militiam callerent. Certè hoc bello dicuntur trecenta hominum millia periisse.

§. 4. *Lingua Francorum.*

IDIOMA Francicum, Dialectus est linguæ Latinæ per Barbaros corruptæ, sicut & Italicum & Hispanicum. Quomodo autem hæc corruptio ad Francos peruenerit non est otij nostri.

§. 5. *Religio Francorum.*

DEFICIENTE penè Catholicâ Religione 5<sup>o</sup>. Christi sæculo per Europam, Barbaris Hæreticis eam occupantibus, selecta est gens Fræcica, Pagana tunc temporis, postea in Clodouæo, Christo consecrata, vt esset deinceps *tuscula Pontificum, Ecclesia propugnaculum, fundamentum & caput Christianorum.* vt loquitur Bonifacius IX. Hinc Francici Reges Christianissimi dicti, quæ vox primùm legitur in Testamêto S. Remigij, à variis subinde Pontificibus Romanis vsurpata. Quamquam autem hinc emerferint hæreses, fuit

tamen Francia semper in capite, hoc est, in Rege sana. Annua exorsit sunt Francia Paschate, usque ad Carolum IX.

§. 6. *Mores Francorum.*

LEVISSIMIS moribus esse dicuntur, & eam leuitatem verbis, gestu, vestibus prodere. Vestes certè quotannis apud eos mutantur: hinc pictor Venetus Francum iussus pingere, nudum exhibuit cum panno, forficibus, & hoc lemmate, *vi uoles*: sed quod magis mirere ceteri Europæi præter Hispanos & Italos eorù more vestiri ambiunt. In bellis primo impetu omnia perrumpunt, at ex victoriarum gloriâ vix vllum olim referebant fructum, vt nostri etiam queruntur Annales; nunc verò bello parta non minùs retinent constantè, quàm fortiter occuparunt. In Principem suum obseruantissimi sunt, quem vitæ, fortunis, liberis anteferunt. Francia Nobilitate nulla in orbe generosior, nulla gens vitæ prodiga magis, sed in duella propensior, quæ hæcenus Principum edictis, & gladiatorum suppliciis tolli non potuerunt. Magnus apud eos literis honos in omni genere doctrinarum. Serui in Francia nulli, & quicumque littus Francicum seruus attingit, libertate fruitur. Franci omnes splendidi, hospitales omnes, exterorum plerumque amantiore, quàm suorum.

§. 7. *Politia Francorum.*

VNICVM Regem agnoscit Francia primogenitum, nobilem, virum. Mulieres semper explosæ sunt, seruatus ad literam horum verborum sensus, *lilia neque serunt, neque nent*. Monarchiæ fundamentum Salicæ leges, quas alij sic dictas esse volunt, quòd in his plerumque ista verba repetantur si aliquis, si aliqua; alij à Sale quòd tãquam Sal incorruptibiles, alij ab aulâ vulgò *vale*, in quam proceres de Rep. acturi conueniebant, alij à Fl. Sala iuxta quem incoluerunt, siue ille cadit in Manum ad Gemundam, siue alter qui postea Naualia dictus in quem Rhenus immissus est à Druso.

In Francia duodecim Pares, *les douze Pairs de France*.

CLE-	{	Rhemensis Archiepif.	} DVCES,
		Laudunensis Episc.	
		Lingonensis Episc.	